



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Quid incumbat Archidiaconis. 12

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

Ex Concil.  
gener. c. no  
pro dese-  
ctio. de ele-  
ctione.  
Ex Concil.  
Basiliensi  
Hieron.  
Symma.  
ad Lau-  
rent. c. vi-  
lissimus.  
I. q. I. Ex  
Concil.  
Basiliensf.

legia, & Conventus, ad Dignitates vacantes, ex sua congregatione idoneos eligant Prælatos; atque eos demum sacris administrationibus dignos esse existiment, quorum omnis ætas per disciplinas Ecclesiasticas cucurrisset. Iam, ut primitivæ Ecclesiæ censura mitigationem recipiat discretionis, is saltem aliorum curæ præficiatur, cujus comparatione grex cæteri merito dicantur. Quomodo enim fieri potest, ut non vilissimus reputetur, qui est honore præstantior, nisi quoque scientia & sanctitate præcellat? Atque utinam hic pensitetur, & nautis & navigio deferendis eandem imminere periclitandi necessitatem.

C A P. VIII. *In eligendo, ætas, mores, literatura & sacer Ordo, spectanda.*

Quapropter Electores solliciti sint, ut talem præficiant, qui Officio credendo fastidire possit; virum ætatis legitimæ, moribus gravem, literarum scientia præditum, atque in sacris Ordinibus constitutum: scientes, ipsis, in re tam gravi, vel dolo vel negligenter agentibus, non minorem, quam malis illis Pastoribus ac Prælatibus quos ipsi præfecerunt, in districto Dei iudicio imminere penam. Neque enim impunè peccatur in Spiritum sanctum, qui in omni electione, ut autor, invocatur. Neque inultum permittet Deus, si quis iurejurando, quod sub electionem præstat, frustra nomen Domini usurpaverit. Ut omittamus poenas Canonicas, quæ perperam eligentes manent.

C A P. IX. *Electiõnem sinceram esse oportere.*

Ab sit ergo omnis Simonix pravitas, omnium personarum respectus. Cessent potentiorum preces, quæ minis æquiparantur, omnisque impressio; cesset ambitio ac dominandi libido. Ad hæc, procul absint omnes illicitæ obligationes, quæ sub electionem aut paulo post, ab eligendo vel electo, haud præter Simonix labem extorquentur. Et procedat de vultu Dei opus ipsius; ut scilicet, qui præstantior est omnibus, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, hic eligatur.

C A P. X. *In confirmatione electionis qua expendenda.*

Electiõne facta, Nos & cæteri, qui confirmationis munus impendimus, officio Nostro, Deo volente, non deerimus; discussuri scilicet diligenter & formam electionis & electi merita, priusquam Nostros imponamus manus.

C A P. XI. *Per Patronos, idoneos præsentari oportere.*

Patroni, tum Ecclesiastici, tum Laici, quos hac de re diligenter admoneri curabimus, videbunt, ut idoneos (quemadmodum ante diximus) Archidiaconos præsentent. Comperitum siquidem habemus, quam hic supra modum peccetur. Sunt enim, qui tantum filios ac consanguineos, seu aliter ipsis addictos, citra ullum delectum aut discrimen scientiæ, morum ac ætatis, Beneficiis Ecclesiasticis admovent. Sunt, qui admotis nomen tantum relinquunt, censum autem atque Ecclesiasticos redditus sibi, ausu quodam sacrilego, (nihil minus quam de Ecclesiastico ministerio cogitantes) uturpant. Quæ omnia, cum Sanctorum Patrum sanctionibus damnentur, multorumque malorum in Ecclesia Dei causa sint, posthac non committi, sed sublata penitus esse, suamque vim Canonicis Regulis constare, ex animo cupimus.

C A P. XII. *Quid incumbat Archidiaconis.*

Archidiaconi Nostri, ad quorum curam inter alia pertinet, ut Nostro nomine Parochias ordinent, ac ministros Ecclesiæ, ipsis præsentatos ac oblatos, inquirent; scient, sui muneris esse, negligentiam Patronorum supplere. Cum enim oculi Nostri sint, dispiciant, ne quis, alioqui indignus, sub alicujus præsentationis prætextu irrepat ac admittatur. Nec contenti, quod post edicta, ter publicata, nusquam compareat qui præsentationem oppugnet; eorum etiam, qui ipsis præsentantur & ad instituendum offeruntur, vitam, mores, & eruditionem accuratè pervestigabunt; ac, nisi comperti illi fuerint, muneris, cui præfici postulantur, pares, fore nefas putabunt, stulte petentibus assentiri. Neque existimabunt, id temporis, quod huic Examine impendunt, perdi; cum nequaquam possit collocari melius; maxime quod officium eorum, hoc ipsum ut fiat, magnopere requiratur.

C A P. XIII. *Aliquot abusus Officialium inter visitandum, corrigendi.*

Et, quoniam ad Nos quorundam querelâ perlatum est, nonnullos Officiales Archidiaconorum Nostrorum, investituræ nomine, plus æquo interdum petere, quosdam etiam institutionem ipsam, petentibus, vel temere negare vel saltem in longum differre tempus, quamlibet legitima sit præsentatio & idoneus is qui præsentatus est: curæ Nobis erit, inter visitandum de his diligenter inquirere, & quæ vitiosa comperientur, Archiepiscopali auctoritate, communicato tamen cum Archidiaconis

Alexand.  
3. c. ex  
sequen.  
de iustit.

C. & c.  
Ad hæc,  
de offic.  
Archidiacon.  
c. finali. de  
elect. in 6.

Deu. 5.  
Hier. 8.  
g. I. c. li-  
cet, & c.  
si ergo.